

ſpectet, & ſi Patentes regiſtrata non ſint, ab Audiētiis colligendā veniant, aut earum curſus permittendus. Circa quod pro calus contingentiā, varia fuere iudicia Aduocatorum, & quorundam aliorum, nec non iudicium ipſorum, reſolutumque tandem ex ſententia plurium pro valore Patentium. Et quidem non ſine ſolidiſſimo fundamento. Vbi de circumſtantiis non ago, ſed ſimpliciter ſtatuo Poſitionem; quæ firmatur ex dictis: ad conuenientem ſiquidem gubernationem neceſſariā eſſe poſſunt huiusmodi prorogationes, in quibus Religionum ſtatu meliori conſultitur, & ſic etiam negotium conuerſionis Indorum, eorumque in ſide promotio melius peragitur, & vrgetur, quatenus ad illam Religionis poſſunt Ordines adiuuare, vt reuera adiuuant, cum Doctrinas ſeu Parochias Indorum plures habeant.

59 Ex eo autem quod Vicarius deſignetur, non eſt infirmenda reſolutio, quia & hoc neceſſarium eſt ad conuenientem gubernationem, eſtque additamentum conſequens dilationem; neque enim ſine Præſato eſt futura Prouincia. Vnde ſtante validitate prorogationis, in ea eſt deſignatio talis incluſa quaſi acceſſoria: etiam ſi aliās prohibita contendatur: per ea, quæ adducit Dom. Solorzano Tomo 2. Lib. 1. Cap. 3. num. 77. & in Politica pag. 82. §. 1. *tambien*. Vbi probat quod licet Ianaconæ per ſe, & ab agris ſeparati, vendi, permutari, aut alienari nequeant; bene tamen tranſire cum fundis venditis poſſunt quaſi in acceſſionem. Pro quo & faciunt quæ de Indiis ſimiliter loquens habet *Libro eodem Cap. 17. numer. 26. & 27.* & in Politica pag. 167. §. 1. *mas en terminos*.

60 Firmari præterea Poſitio iſta poteſt ex eo quod ſi Capituli futuri breuius ſpatium deſignaretur, volente Prouinciali cedere iuri ſuo, vt reipſa accedit, non eſſet talis nouitas, quæ regiſtrum in Regio Conſilio neceſſariū haberet iuxta Regias ſchedulas, vt neuo negat; quia pro eorundem adductæ militant ergo idem in prorogatione dicendum, cum pariter illæ videantur pro eo militare. Vbi dici nequit in prorogatione interuenire Vicarij Generalis deſignationem; quia id nouitatem gubernationis non tollit, cum poſſit illa tam in breuiando termino, quam in extendendo reperiri. Sicut ergo in priori non obſtat, ita neque in poſteriori: & ſic ex verbis illis *O coſas que innoſcunt en las Religiones*, argui nequit. Item. Quod ad Vicarium attinet, nullius momenti eſt, quia ratione nouitatis non habet repugnantiam ſpecielem, vt vidimus; neque ex eo quod ad ordinariam gubernationem non ſpectet: quia ſi ex eo quod extraordinarium id ſit, repugnantia eſſet, in breuiato etiam Prouincialatu tale quid accedit, & nihilominus illud admittitur. Et Regiæ quidem ſchedulæ tam de poſitiuis ſeu ampliatiuis actibus, quam de priuatiuis diſponunt, vnde pariter vetant extinctionem Prouinciarum, ac earum erectionem, de quo *Reſolut. 3.*

## RESOLVTIO II.

De breuiore gubernationis ſpatio ſtabiliter conſtituto.

61 D E vna aut altera vice dictum iam: illud difficilius, an ſimiliter dicendum ſi pro Capitulis ſtabiliter breuius ſpatium deſignetur. Quod quidem aut pro tota Religionē contingere poteſt, aut pro Indiis ſpecialiter. Et in priori euentu conſequenter addicta num. 70. aſſerendum non eſſe regiſtrum neceſſarium: quia cum nihil ſpeciale pro Indiis ſtatuatur, nihil circa eas ſpecialiter innouatur, neque ordinariā gubernatio tollitur, quia ordinaria iam alia eſt, & ſic Schedulingum Regiarum forma ſeruat. In poſteriori autem aliter videtur dicendum: quia valde extraordinaria & notabilis innouatio eſt, ac multiplicatio ex illa Capitulorum ſequitur, atque inconuenientia ex illis augentur, Indorumque ſpiritualia ac temporalia detrimenta, ob frequentiores abſentias Parochorum, & eorum mutationes, quæ in Capitulis fieri ſolent. Quæ omnia conſideratione ſunt digna, vt merito credi debeat Regiam voluntatem eſſe, ne eo inconſulto executioni mandetur id, ex quo illa ſubſequentur.

62 Dices vrgeri prædicta etiam cum innouatio illa eſt generalis pro tota Religionē, de qua aliter pronuntiauiſus. Reſpondeo, etiam ſi ita ſit, diſpoſitionem in Schedulingum Regiæ contentam in generali ſtatu non procedere, cum illius verba caſum, de quo eſt ſermo, non comprehendant; ſecus in alio, quia ob ſpecialitatem oportuit de vno, & non de alio ita pronuntiare. Non enim ſibi Regium Conſilium perſuaſit id, quod pro tota Religionē à viris doctis & prudentibus ſtatuendum pro bono Religionis erat, ſpeciali Indiæ commodo obſcurum. Cum aliās facile ipſi futurum ſciret, ſi quidquam non ita opportunum accideret, ſupremis Præſatos admitteret vt circa Indiæ diſpenſationem adhiberent, quam ipſi nequaquam recuſarent. Quod quidem in Bullis Pontificiis pariter eſt dicendum, quæ cum pro tota Eccleſia ſunt, nullo modo in ſupremo Conſilio detinentur: & tamen poſſunt earum aliqua non eſſe rebus Indici congruentes. Quod dum euenit, pro diſpenſatione circa ipſas Sedi Apoſtolicæ ſupplicatur, ſicut in multis, quæ de iure communi ſunt; vnde tot priuilegia conceſſa videmus, quæ tot ſerè ſunt in illo diſpenſatione, & ad Regum noſtrorum inſtantiam plurimæ illarum conceſſæ reperiuntur.

63 Et licet in acceleratione Capitulorum rationes adductæ vim habere videantur ſpecielem, quod non ita in dilatione accedit: nihilominus ſi generali pro Indiis ſtatu decerneretur, ſimiliter videtur dicendum: quia innouatio valde extraordinaria & notabilis eſt, & pro temporum varietate poſſunt inconuenientia occurrere, vnde oporteat ſine Regia notitia talia nõ exequi; cum ſciamus minora valde regiſtro ſubmittenda eſſe iuxta Regias ſanctiones. Et verò diuturnum regimen non parum ſubditis ſolet eſſe moleſtum: vnde ex hoc capite erunt fortæſe qui cenſeant Reges noſtros piſſimos ad hoc etiam de-

bere

bere ſuam prouidentiam extendere, & ſic attendere à ſuis Conſiliariis decreta prorogationum examinari; quod in Religionum ipſarum commodum tandem redundabit. Cum ſit certiffimum moleſtias Religionis animis ex oneroſa tolerantia Præſatorum ingeſtas viam perfectionis, difficilem aliās, aſperiores reddere, & ſic minus promptè decurrit, dicente Vatum Summo: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Pfalm. 118. Quod ſi ad currendam mandatorum viam, dilatatio eſt cordis neceſſaria; quid de Conſiliorum eſt via dicendum, quam conſtat eſſe reliquis arctiorem? Videatur D. Bernardus Sermonē de Obedientia. Et 71. in Cantica.

## RESOLVTIO III.

De Vnionē ac diuifione Prouinciarum.

64 I N Regiis Schedulingum expreſſe poſitæ extinctiones & erectiones Prouinciarum, *Eſpecialmente de las que ſueren para extinguir & erigir Prouincias*. Huius autem peculiaris cautionis; vbi de erectione agitur, ratio illa eſſe poteſt, ne ſcilicet hoc pacto multiplicentur Capitula, & incommoda illa, quæ ex multiplicatione oriri diximus, & Indorum conuerſioni officiunt ſubſequantur. Quod ſi his non obſtantibus ſub generali huiusmodi conſideratione, vtilitates appareant, propter quas aliter fieri debeat, vt potè quæ præponderare incommodis dictis videantur, id quidem attentè eſt conſideratione digniſſimum, & ideo Regio eſt Conſilio reſeruatam. Quod verò neque extingui ſine illius beneplacito nequeant, cauſa illa generalis in primis occurrat, quod ſcilicet extinctio talis res valde notabilis eſt, & ita Regiā notitiā digna. Deinde, Indorum cauſæ incommodare poteſt, quatenus Præſati longius diſtant, & Doctrinarios rariùs poſſunt viſitare, & querelas Indorum audire; & hoc quidem licet expreſſum non eſſet, ſub generali clauſula de ſpectantibus ad ordinariam gubernationem poſſet vetitum reputari, quia valde extraordinarium & notabile eſt, & gubernatio exinde notabiliter innouatur.

65 Et quidem erectionem huiusmodi non poſſe fieri ſine licentia Sedis Apoſtolicæ generaliter loquendo docet Lezano Tomo 1. Cap. 18. num. 24. Fr. Emmanuel Rodericus Tomo 3. 99. regul. 4. 23. artic. 8. vbi non ſolum erectionem prohibitam eſſe affirmat, ſed etiam erectæ diuifionem, aut ſubiectionem reſpectu alterius. De Religionē autem Minorum, & ſpeciali in eā prohibitionē, agit *ibidem*, & Tomo 1. quæſt. 43. artic. 1. Quod quidem ſi ita eſt, ſatis ex eo diſpicitur quanti hæc res momenti ſit, quam ſibi Sedes Apoſtolicæ reſeruauiſus. Et ex eo inferre licet nõ immeritò Reges noſtros circa rem eandem id deſeruiſſe, quod vidimus. Bene verum eſt argumentum, quod ex Iure adducit citatus Auctor, in quo de Episcopis ita diſpoſitum inuenitur, ne ſcilicet noua Sedes Episcopalis conſtituatur, neque illius fiat diuiſio, aut ſubiectione abſque Papæ facultate, quia de ſimilibus idem ſit iudicium: non videri vrgeres, nam ſimilitudo exacta non eſt: Episcopii enim à ſolo Pontifice conſtituuntur, ſicut & Archiepiscopii; cum tamen Prouin-

cialium electio aliam habeat formam inferioris gradus, qui & in multis aliis ſunt diuerſi. Neque Sylueſter, quem allegat verbo *Cafus in 9. & 11. & Lezana Caſu 8. 9. & 10.* de Prouinciis verbum vllum habet, ſed tantum de Eccleſiis, Monafteriis, vel Conuentibus exemptis. Et hinc eſt vt ſine priuilegij alicuius peculiari mentione in Societate noſtra ſtatutum ſit poteſtatem nouas inſtituendi Prouincias apud R. P. Generalē reſidere, vt videri poteſt in *Decreto 108. Congregat. 1. & in Decreto 36. Congregat. 2. & in 6. Congreg. 4.* & quod generaliter ſine priuilegio id fieri poſſit, tenet tandem Lezana Tomo 5. in *Mari magno PP. Prædicatorum* cum Peirino, Santore, & Trimarcho n. 9. 10. & 11. Neque ex eo quod in Eccleſiis, & Monafteriis accidit, argui ad Prouincias poteſt, quia dū multiplicantur Eccleſiæ, & Monafteria, reuera ſunt plures domus diuerſa occupantes ſpatia in diſtrictu alieno, quod merito fieri prohibetur. In Prouinciis autē multiplicatione tantum ſit innouatio in modo gubernationis domorum earundem, per quod Ordinariis nullum videtur præiudicium importari. In Religionē autem Minorum ſpecialis prohibitio ob cauſas bene viſas eſſe potuit, quæ & iam antiquata iuxta dictos. Et ex eo, atque ex aliorum ſententiā circa Prouincias Religionum aliarum, communique ſenſu circa rei grauitatem, rectè colligitur, potuiſſe Reges noſtros id diſponere circa Indicas, quod in Schedulingum allatis reperitur.

66 Quia verò in Societate I E ſu inconuenientia ceſſant, quæ ex multiplicatione iam vidimus, cum Capitula pro electionibus non habeant, non videtur prohibitio dicta ad illam extendi, ſicut non extenditur quoad Viſitatores, ob ſimiles rationes. Vt autem de multiplicatione id procedat, ita & de extinctione dicendum, quia non eſt cur exceptam in vno, in alio incluſam aſſerere debeamus; quandoquidem neque verba ſpecialiùs vrgeres, neque ratio eſt aliqua, ex qua poſſit diſcrimen verò ſimiliter coniectari. Pro quo eſt vulgaris doctrina Textibus & Doctoribus illuſtrata à Dom. Solorzano citato *Cap. 26. n. 82.* quod vna determinatio reſpicit plura, pariformiter determinat determinabilia. Et quod item fundat num. 83. non ſcilicet eſſe credendum concedentem aliquid, eos, quibus concedit, ſi diuerſo iure cenſeri voluiſſet, ſub eodem verborum tenore ſociaſſe.

67 Quod autem innouatio quæuis circa Prouincias, ſed abſoluta erectio prohibetur, non eſt leue fundamentum vt quis cenſeat eam tantum erectionem intelligendam, per quam ea, quæ nullo modo erecta erat, de nouo conſtituitur, non verò quando iam erecta diuiditur. Pro quo ſtat Fr. Emmanuel citato *Artic. 8.* vbi hæc diſtinguere videtur, dum ait Iure prohiberi Regulares, etiam Generales, ne poſſint nouas Prouincias erigere & fundare, nec poſſint erectas diuidere, nec vnā Prouinciam alteri Prouinciæ ſubiicere. Aliud ergo eſt iuxta ipſum, & iuxta rei veritatem, erigere & fundare Prouinciam, ac erectam diuidere: tunc enim propriè fundari aut erigi Prouincia non dicitur: ſicut cum vnā domo in duas diuiditur, non dicitur quælibet illarum fundari, ſed fundata diuidi. Et ſic in aliis. Et eodem modo de extinctione dicendum, quæ non contingit,

contingit, cum ex duabus sit vna: non enim dicitur altera earum extingui: sicut in exemplo domus per contrarium adducto, cum scilicet ex duabus sit vna; non enim dicitur alteram earum, aut vtramque, per conjunctionem extinguere. Iuxta hæc ergo dici potest Regias Schedulas in casibus dictis non loqui, & cum odiosas dispositiones sint, non esse verba ad sensus minus favorabiles pertrahenda iuxta vulgaria iura, & Doctorum obuia axiomata, de quibus præsertim Valascus in *Axiomatibus Iuris Lit. O. n. 12.* & hæc quidem sententiam istam verosimilem ostendunt, vt si Regiis Prætoris placeat, possint sine scrupulo eidem se in casu contingentia conformare: pro contraria autem iam vidimus quot & qualia fundamenta succurrant. Pro subiectione autem vnius Prouinciæ ad alteram de nouo inducta, non est cur debeamus quæstionem mouere, cum nullo modo in Regiis Schedulis inueniatur expressa, etiam si demus eam iure prohiberi: quia non omnia iure prohibita Regiis Schedulis prohibentur, quando pro illis privilegia extant. Sic enim in multis est cernere, quæ passim impetrantur, & de quibus Nos *Titulo 12.* ob rationem sapius reddidit, quod scilicet communi Indiarum bono incommodare nequeant, sed commodum sint potius allatura.

### Casus peculiaris.

Ubi de recurso Resolutio respondens præposita in Titulo quæstioni.

68. **P**otesse ille in præfata doctrinâ fundari, & circa Prouinciarum innoationem accidere; si Patentibus non registratis vnio aut diuisio fiat, & sic consequenter Prouincialium electiones. Tunc ne Regia Prætoria tolerare id poterunt, aut Prorex vtiens Omnimoda, quæ illi pro raris & implicauentibus competit, id, quod est factum, ratum habere: quod si renuant, aut contradicant aliqui? quid si & Regij Magistratus? quomodo est res adeo difficilis componenda? Circa quam

Dico primò, iuxta dicta *num. 63. & seqq.* acta esse valida; quia non est solidum fundamentum vnde possint infirmari, interueniente auctoritate supremorum Prælatorum.

69. Dico secundò, Regios Ministros posse factum tolerare, & Indiarum Consilium de sic actis admonere. Ratio est, quia inualidatio Capitulum; & nouorum celebratio grauius inconuenientia continent, & non sine scandalis accidant: nec credendum est Reges Piissimos & Religiosissimos tanto cum dispendio Religiosi status suas velle Schedulas obseruari. Sic scimus multa in Regiis ac supremis probata Consilia, quæ non erant ordinariæ gubernationi conformia, quia eam oportuit iuxta circumstantiarum occursum variari. Sic etiam nouimus Episcopum sine Executorialibus contra expressam prohibitionem Cancellariæ Regiæ consecratum, circa Pontificiale officium nequiquam impeditum, cum tamen per legem Regni executionem Bullarum, quæ non sunt in Consilio Cameræ præsentata, & confirmationem præsentata à Rege

continent, non esse permittendam caueatur. Pro quo & facit id, quod ex Metiano præclaro Iurisconsulto obseruat D. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 2. Cap. 7. num. 29.* & in *Politica pag. 301. s. Ann. que no. Conuenit à veces disimular algo, por no lo turbar y embarazar todo.* Sic ille adducens alios Mexicanorum doctrinam illustrantes.

70. Dico tertio, Praxis Omnimodæ in Proregibus necessaria non est, iis stantibus, quæ dimus, quia & vbi illi non sunt, stare illa potest, & Regiæ Audientiæ arbitrio ista disponi. Et quidem si Audientia factum sustinendum iudicat, satis apparet non esse ad Omnimodam recurrendum. Si verò secus sentiat, & Proregis iudicium iudicio Auditorum aduersetur, velique suo iure vti, poterit equidem, iuncta prærogatiua Prætorii, & consilio aliorum instructus, quia res huiusmodi opinabiles semper sunt: & tunc parendum ipsi, neque ab Auditoribus obstitendum, iuxta ea, quæ habet Dom. Solorzanus *suprà & Cap. 4. num. 76. & Lib. 4. Cap. 10. num. 3. & seqq.* & in *Politica pag. 279.* in fine & *Lib. 5. Cap. 13.* circa initium, quæ in hoc casu, & similibus magis vrgent.

71. Dico quartò, si post celebrata Capitula Patentes colligantur, & earum executio prohibeatur, quoad forum interius id stare poterit, quod dictum *Affert. 1.* & etiam quoad exterius, si stare illud possit sine periculo turbationum, quod erit difficile, quia non deerunt delatores, & cedere oportebit propter metum Iudæorum. Cum ergo res ad priorem statum in hoc foro reuocanda sit, & sic noua celebranda Capitula, tunc quidem ad sedandas conscientias Prælati ante collectionem Patentium electi vices suas nouiter electis attribuent: ita vt, si Prouincia diuisa fuerat, duo tunc electi Prouinciales vni postea electo; si vnica duæ vnus tunc electus duobus tamquam delegatis omnem suam conferat potestatem, quantum de iure communi ac speciali Religionis conferre potest, & sic resolutionem vltimam ex transmarinis partibus expectare. Quod si nouiter electi legitimos se Prælatos esse contendunt, & sic aliorum nolint agere substitutos, videntur certè in eo grauius peccare, quia ea, quæ ad forum conscientiarum spectant, eo pacto in multis dubia redduntur, & communi damno non occurrunt modo conuenienti & facili, in quo periculum subest nullum. Non deerunt autem qui censeant in eo grauius peccare, quia probabiliter proceditur, iuxta dicta de valore actorum post Patentium collectionem, quem sunt qui negent, contententes talem esse supremorum Prælatorum voluntatem. Vide *n. 65.*

72. Dico quinto, Si collectis Patentibus post Capitula celebrata, elapsum sit tempus, quod in Religionibus ad eorum est celebrationem præfinitum, habent enim fixos & inuolabiles dies, tunc Religio quæuis ad sua statuta recurrat, & videat quinquam iuxta illa sit Prælati futurus, vt Regiarum Audientiarum decretis morem gerant. De quo idem est quod de Prouincialibus dicendum, de quibus *Affertione præcedenti.*

73. Dico sexto, Si controuersia aliqua inter Religiosos circa casum nuper propositum habeatur, dum plures sibi ius ad prælationem competere iuxta sua statuta contendunt, res non de-

bet

bet ad Regiam Cancellariam deferri, vt videtur manifestum. Quis enim laicos iudices Ecclesiasticorum iurium iudices esse constituit? Ibi certè de facto non agitur, sed de iure; vt esset illud commune periculum, de facto agi, & non de iure aut proprietate. Sicut & aliud de restitutione spoliati, quæ quidem non raro contingitur, & à iudicium omnium Iudice, qui falli nequit, irridetur. Quid ergo faciendum? Eligantur arbitratore, & Compromissarij, qui esse possunt eiusdem aut alterius Ordinis Religiosi, vt apud P. Thomam Sancium videri potest in *Opere morali Lib. 6. Cap. 13. num. 60. & seqq.* Immo & sæculares probi, & bonæ famæ, iuxta Lezanam *Tomo 4. Summae, verbo, Recusatio, num. 8.* qui & videndus *Verb. Exemptio* pro damnatione recursum huiusmodi *num. 16. & 17.* etiam Malderus, Portel, & Soula illos admittant, cum superior non adest, aut non vult Religiosum defendere, grauiamen iniustum patientem. Et generaliter recursum per viam violentiæ probat cum aliis Leander *Parte 4. Tractat. 3. Disput. 14. Quæst. 13.* & eorum iudicio stetur: quod si stare nolit qui in eo victus & turbas excitet, tunc poterit Regium auxilium conuenienter implorari.

74. Dico septimò, Si collectis Patentibus ante effectum innoationis in Prouinciis, & celebratis Capitulis more solito, ad instantiam aliquorum, re iterum discussa, & nouis allegatis rationibus, illæ reddantur, atque ipsarum executio permittatur, electi debent cedere Prouinciales, quorum iurisdicctio neque in foro conscientiarum remanebit. Ratio est: quia cum reuera deprehendatur Patentes fuisse validas, & registro non indignis, ac ratione earum habeatur iurisdicctio in vtroque foro; id quod contra illarum tenorem est factum, nullum extitit, & ita nullo modo subsistere potest: neque est inconueniens acta in Capitulis irrita euadere contra formam præscriptam celebratis, quia hæc de causa Generales solent Capitula nulla & euanida declarare. Noui ergo eligantur Prouinciales, si aliud non occurrat obstaculum, vt non occursum videtur, quia propterea Patentes collectæ redduntur, & impeditis agere non occurrit tempus, iuxta vulgarem Iuris regulam, pro quo & Textus & Auctores adducunt Rodericus, Suarez *Allegat. 3.* Valascus in *Axiomatibus Iuris Lit. l. num. 22. & 23.* & Dom. Solorzanus *Lib. 2. Cap. 11. num. 52.* & in *Politica pag. 331. s. De lo qual.* Est autem valde diuersus casus ab eo, de quo in *Affert. 5.* ibi enim impediti non sunt designato à supremis Prælati tempore celebrare, sed reipsa celebrarunt, iuxta eorum præscriptum, & acta omnia valida extiterunt: vnde iuxta Religionis peculiarem formam nequeunt Capitulum aliud celebrare, sed agere vt Prælati is sit, qui iuxta proprias Constitutiones esse debet; neque ad aliud Audientiarum decreta compellent, quia id suarum partium non est; sed prohibere tantum ne valorem habeat id, quod est contra leges de registrandis Patentibus constitutum. In casu autem Assertionis præsentis Capitulum non fuit legitimum, & legitimi celebratio pariter impedita, vnde cessante impedimento potest legitime celebrari, & consequenter eligi Prouinciales: vnde ad Prælatum alium non est recursum necessarius, qui deficiente Prouinciali so-

let per statuta specialia prouideri: nec de his plura, vbi plura fortè desideret quispiam, quæ controuersias præfatas magis in speciali pertingat; sed nolum id ago, nouas in me controuersias excitare.

## AD TITVLVM III.

### Circa Caput 1. num. 4.

De obligatione Proregis ad frequentiam Confessionis.

75. **P**ro generali obligatione obvitandum periculum incidendi in noua peccata stant plures, quos adducit Diana *Parte 7. Tractat. 12. Resolut. 29.* & licet ipse cum Cardinali Lugo *Disputat. 15. de Penitentia, num. 45. & seqq.* neget: id tamen tantum statuit communiter loquendo; quia sic Cardinalis censet: vnde neuter videtur obligationem excludere, cum speciales circumstantiæ concurrunt: neque de obligatione per accidens ratione scandali loquuntur. Nec dici potest illud esse passiuum; quia cum sit sententia quamplurimum, de qua diximus, accedente sublimitate personæ ad peculiare exemplum obligatæ, plus quam passiuum est: probabiliter enim existimari potest illum esse in malo statum; suffragante insuper experientia de sic abhorrentibus Sacramenta.

### Circa Caput IV.

#### §. III.

De obligatione restitutionis pro male expensis à Religiosis.

76. **O**bligationem restituendi in Religioso quatuor in casibus negat Hieronymus Garcia in *Politica Regulari Tractat. 4. Parte 3. Difficult. 5. Dub. 13. num. 7. & 8.* & circa duos priores non est difficultas, quia procedunt cum sine iactura famæ Religiosi aut Conuentus restitutio fieri nequit: & illorum ad instar possunt alij occurrere. Tertius est cum pecuniam turpiter expensam ab amico Religiosus accipit; tunc enim damnum nullum est passum Monasterium. Iuxta quod dicendum est, neque accipientem à Religioso ad restitutionem teneri, quia ex eo quod non restituatur, damnum speciale non resultat; nihil enim minus habet: licet Religiosus contra pauperatem peccauerit; stat enim illud non violata iustitia, iuxta præfata sententiam: quod est sanè difficile, sed in quo Auctor dictus est alios secutus: nam quod Religiosus accipit, statim fit Religionis, & ita, cum prauè expenditur, contractatio est alieni, & consequenter iustitiæ violatio. Quod & in Fratre Minore dicendum: licet enim Conuentus dominium non adquirat, vltim tamen ita habet, vt à nullo sine violatione iustitiæ possit eo spoliari: nisi fortè qui dedit, noluerit dominium, aut ius aliud à Conuentu adquiri, sed ad liberam omnino dispositionem Religiosi pertinere: tunc enim poterit distinctio illa locum habere,